



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiae, 1688

De prædicatione verbi Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

DE PRÆDICATIONE VERBI DEI

§. 1. *Necessitas Prædicationis & licentiæ Episcopalis.*

Heb. xi. v. 1. **C**um absque fide impossibile sit placere Deo, quæ infantibus in sacro baptismo in funditur, quando ex aqua & Spiritu S. renascuntur; Adultis autem per auditum Verbi Dei donatur, prout veritas æterna, sicut & quòd absque legitima missione non sit prædicandum, per Apostolum docet; Ejusmodi vocati seu missi, in hac Diocesi Trevirensi sunt Pastores, aliique animarum curati, & Concionatores, qui à nobis, nostrisque Vicariis Treviris aut Confluentiæ auctoritate nostrâ ad id constituti, sunt approbati & admissi: regulares quoque sacerdotes, etiam exempti, nullo modo in Ecclesiis parochialibus sine licentiâ Episcopi prædicare possunt, juxta constitutionem Gregorii Papæ XV. nonis Febr. 1622. §. 3. & §. 6. Quare Pontifici constitutioni, nec non decretis Concilii Provincial. Trevirensis an. 1549. insistendo, excommunicationis vinculo, vel aliis poenis coerceri volumus illos, qui sine prædicta licentiâ verbum Dei prædicare præsumunt: similiter & parochos, qui Diaconis & sacerdotibus recter è schola venientibus, absque eo quòd illi de licentiâ Ordinarii doceant, in Ecclesiis suas cathedras ascendere, & prædicare permittunt.

§. 2. *Quales oporteat esse prædicatores verbi Dei?*

Conc. Trevir. 1549. **R**ectè provinciale Concil. Trevirensè citat. statuit, quòd non quilibet admittendi, sed primùm explorandi sint. Ideo doctrinâ sacrâ, & Theologicarum rerum, & muneri illi obeundo necessariâ cognitione instructos, moribus honestos & graves, vitâ integrâ, infamiam liberos, solùm admitti volumus; memores illius apud regium Pfaltentem: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* porro populum verbo erudire, exemplo autem ad imitandum provocare satagant, poten-

potentes sermone & opere, seu doctrinâ & facto, ut quod verbis proponunt, moribus persuadeant & confirment; aliâ doctrinâ & prædicatione quamvis sanâ, parum effecturi. Quomodo enim cum fructu ad charitatem Dei, rerumque cœlestium desiderium excitabit? si ipse eo igne cœlesti algeat? quomodo alios ad temperantiæ, castitatisque virtutem exhortabitur? si ipsemet crapulæ deditus, & impurus existat?

S. 3. Quæ prædicari, præsertim à parochis oporteat?

IN hoc toti incumbant, ut verbum veritatis rectè & bonâ fide tractent, tanquam dispensatores multiformis gratiæ Dei: præsertim autem ut populum doceant, quæ ad salutem non tantùm scitu, sed & factu sunt necessaria; Deum colere, ejusque mandata, nec non Ecclesiæ sanctè observare, pietatem, charitatem, mansuetudinem erga proximum exhibere: adhæc breviter & nervosè, quæ vitia declinare, quas verò virtutes sectari debeat, ut poenam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeat, inculcando: Omnium etiam ætatum & ordinum, utpotè parentum, liberorum, maritorum, uxorum, dominorum, servorum, magistratus, & privatorum officia explicent circumspectè; instruant quoque superioribus universis, ac magistratibus tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus à populo reverentiam exhibendam esse, & quo faciliùs prædicta omnia populus assequatur, ad frequentem sanctissimorum Sacramentorum usum, Pœnitentiæ scilicet & Eucharistiæ cohortentur, doceantque quanta & quàm mirabilis sit eorum virtus & efficacia, ut quotidie ipsorum mentes eò vehementius inflammentur. Cum verò non omnium eadem ingenii sit facultas, habeatur ratio parvulorum & rudium, fidei rudimenta ad captum eorum explicando.

Conc. Trevir. 1649.

Conc. Trevir. cit.

S. 4. A quibus in prædicando sit cavendum?

CAveant prædicatores, ne historias non satis probatas, & apocriphas miraculorum enarrationes in concionem, ne obiter quidem, adducant, multò minùs nugas, aniles fabulas, quæ risum potiùs quàm lachrimas propter peccata populo moveant. Nihil unquam afferant quod contra Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem aut perpetuum Sanctorum Patrum consensum quoquo modo

Concil. Provinc. Trevir. cit.

modo dici possit; Caveant etiam ne quenquam nominatim aut tacite, ita tamen ut digito demonstrari possit, insectentur, particulis que aliqua contra privatos animi exulceratio colligi possit, multò minùs ea proferenda quæ confessionis revelatæ suspicionem etiam levissimam moveant. Superiores universos seu magistratum tam Ecclesiasticum, quàm sæcularem nullatenus publicè perstringant, sed officii, si opus fuerit, generaliter commoneant. Hæreticorum argumenta non referantur nimium, præsertim apud rudiores multitudinem, si perversæ eorum doctrinæ sint confutandæ, id solidè & graviter faciant, sac. Scripturæ locis, Conciliorum authoritati & Ecclesiæ consuetudini insistendo.

§. 5. Quando parochus prædicare: Et populus etiam in parochiali sua Ecclesia, Verbum Dei audire teneantur?

UT satisfiat Concilii Tridentini decretis singuli parochi, aut cunque animarum Curatores per semetipsos, si legitimè impediti non fuerint, omnibus diebus Dominicis ac festis, munus prædicandi verbi Dei obeant, * nec dependeant à regularibus. Parochianos reciprocè concionem in sua Ecclesia parochiali audire: si commodè possint, teneri, * de jure novo, certum magisque naturali rationi & æquitati consentaneum est, ut propria mater (qualis est parochus) per prædicationem lactet filios) quàm ut hi cuidam alteri permittantur lactandi. Cui parochianorum obligationi per consuetudinem generalem derogari nequit, si Regulares in suis concionibus non observent quædam §. 3. superiùs posita, videlicet si negligant aut prætereant rudimenta fidei, præcepta Dei, & Ecclesiæ, Sacramentorum virtutes, & modum ea dignè frequentandi, aliaque scitu necessaria: tunc enim parochiani jure naturali, contra quod præscribi non potest, obligati sunt in sua parochia concionem audire, ubi supradicta expofesso tractantur. Atque sub hac distinctione seu limitatione sopita manet controversia, ante annos 14. Lovanii, occasione eà quod quidam absque limitatione sub reatu peccati, obligationem audiendi verbi Dei in Ecclesia sua parochiali sustineret, suscitata, quâ regulares ad opponendum sua privilegia Pontificia, seipsum ad propugnanda lura parochialia, sicque ad mutuum litterarium conflictum, ædificationi non subservientem, induxerat.

* Conc.
Trid. sess.
5. cap. 2.
de refor.
* sess. 24.
cap. 4. de
reform.

§. 6. Quomodo in cathedra prædicator se gerere debent?

Indutus superpelliceo, aut albâ & stolâ conveniente, pro temporum diversitate, pileum quadratum manu deferens, illum in cathedra deponat, & si venerabile Sacramentum, ut in festo Corporis Christi fieri solet, patenter sit expositum, eum pileum nunquam: aliàs lecto Evangelio, ad initium dictionis, capiti imponat, & ad finem dictionis, uti etiam si quando nomen JESUS pronuntiat (quod non proferet sæpè nimis, ne auditōribus crebriore capitis denudatione & reverentiâ molestiam, ac denique reverentiæ neglectum causet) reverenter deponat.

Primò itaque in cathedra auditores præsentēs circumspiciat, iisque ad quietem compositis, pergat vulgari lingua: *Im Nahmen Gottes des Vatters/ und des Sohns † und des H. Geistes Amen.* dein dicat Thema v. g. in festo Circumcisionis Domini: *Et vocatum est nomen ejus JESUS.* Luc. 2. cap. Dein tardè *Die Gnade/ Fried und Barmherzigkeit Gottes des himmlischen Vatters/ die Liebe seines eingebornen Sohns Jesu Christi/ die Gemeinschaft und Einsprechung des H. Geistes seye und bleibe mit uns allen Amen.* Pro diversitate temporum, loco verborum: *die Liebe seines eingebornen Sohns:* dicat in Adventu *die Anfunft Christi Jesu.* In Quadragesima, *das bitter Leyden und Sterben Christi Jesu.* In paschate: *die fröliche und freudenreiche Urstand Christi Jesu.* Postea clarâ voce: *die Wort/ welche ich Ew. Lieb und Andacht jetzt in Lateinischer Sprach hab vorgehalten/ seynd genommen auß dem heutigen Evangelio/ so uns beschreibet der H. Evangelist Lucas am 2. Cap. Und lauthen auff unsere Teutsche Sprach also: Und sein Nahme ward JESUS genennet.*

Von diesen Worten ehe wir etwas weiter reden/wollen wir zuvor die Gnad Gottes mit einem andächtigen Vatter unser sampt dem Englischen Gruß/ demütigst begehren. Tempore nativitatis, paschatis &c. Wollen wir die Gnad Gottes durch das gewöhnliche Christ-oder Oster-Gesang begehren. Tempore paschali non flectit populus dum canit: aliis temporibus prædicator finitis precibus dicit: *Stehet auff/bezeichnet euch mit dem Zeichen des heiligen Kreuzes/ hic format parvam crucem, Im Nahmen Gottes des Vatters †, des Sohns †, und des H. Geistes †, Amen.* Und höret an die Wort des H. heutigen Evangelii welches uns beschreibet der H. Evangelist Lucas am 2. Cap. mit folgenden Worten. dein legit Evangelium altâ voce. *LECTO Evangelii: Durch Krafft des abgelesenen Evangelii verzeihe uns Gott alle unsere Sünd und Missethaten Amen.* Tunc repetat Thema & concionem ordiatur, in Ecclesiis ruralibus intra mediam horam, præsertim hyemali tempore finiatur.

Finitâ concione, altâ voce recitet è libro Evangeliorum germanicam orationem pro communi Ecclesiæ necessitate: *Allmächtiger Ewiger Gott* &c. vel Confessionem generalem: *Ich armer sündiger Mensch* &c. si velit, poterit illam orationem festiuis, confessionem verò dominicis diebus recitare, ne utrâque simul, molestia populo creetur. Finitâ eâ: *Misereatur vestri omnipotens &c. Indulgentiam absolutionem & remissionem &c.* Post quæ omnia jejunia, festa, matrimonia & si quæ alia (non tamen facilè res deperditas, aut eleemosynas) proclamabit. Tempore quo cantus subjungitur solet, subjungatur.

PROFESSIO FIDEI CATHOLICÆ,
quam juxta Concilii Trident. dispositionem omnes quos Ecclesiis superioribus præfici, & animarum curam habentibus provideri contingit, facere debent, quæ ut præstanda parochis, sic in suscipiendis Sacellanis & Ludi-magistris, & qui ab errore ad gremium Ecclesiæ revertuntur, subservire poterit.

FORMULA PROFESSIONIS FIDEI
à Pio IV. Pontif. Max. præscripta.

EGO **N.** firmâ fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium, & in unum Dominum nostrum Jesum Christum, filium Dei unigenitum: & ex patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt,